



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Sacra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

A D D I T I O.

Sacra.

Sacræ vestes pollutæ luxuria, iterum benedicendæ. *Sylv. vers. vestis. Graff l. 2. c. 41. n. 7.*

Sacra vendita ad usus profanos, prius dissolvenda, si in formam amittant: quod si lapides sint & ligna dirutæ Ecclesiæ, possunt verti in usum profanum de Episcopi licentia. *Vid. Ang. vers. consecratio vestimentorum.*

Sacra tangi à laicis sine contemptu, non est peccatum mortale. Ita *Sot. d. 13 q. 2. art. 3. ad 3* vid. etiam *Suar. t. 3. 81. sect. 3. c. vestimenta. c. in sancta. d. 1. Graff. p. 1. l. 2. c. 41. n. 7.*

Sacra vetustate consumpta, comburenda, & cineres in Ecclesia reponendi, ligna tamen & lapides possunt servire loco religioso, honesto. *c. altaris. de consecr. d. 1.*

Sacra vasa & vestimenta habere enormiter immunda, mortale est, & iis qui habent, & prælatis qui non provident. *Sylv. vasa sacra.*

Sacerdicitur locus, cum est benedictione deputatus ad officia divina, aut sepulturam. *Vid. Sot. 32. q. 1. art. 3. Azor. l. 9. c. 27. q. 5.*

Sacrilegium.

Vid. v. Immunitas, Suspendio.

1. Sacrilegium est violatio rei sacræ, v. g. sacramentorum, vestium sacrarum, &c. vel personæ Ecclesiasticæ, vel locorum auctoritate Episcopi consecratorum. Ex quo fit ut sacrilegium committat qui abutitur verbis & sententiis sacræ Scripturæ ad superstitiones, vel ad ridicula. Tangens quoque imagines ex contemptu, vel eas indecore pingens, vel irreverenter tractans, committit sacrilegium. Idem dic de abutente vasis, vestibus sacris, vel injuriam inferente sacramentis. Item effringentes & spoliantes loca sacra, committunt sacrilegium, & excommunicationem ipso facto incurrunt. Adverte tamen ad incurrendam dictam excommunicationem requiri, ut eodem tempore concurrat effractio & spoliatio loci sacri: neque incurritur ab eo qui effringit Sacristiam disjunctam ab Ecclesia. Est reservata Papæ, sed tantum post denuntiationem. *tom. 2. c. 114.*